

## De Vergili *Georgicis* et Columellae *Re Rustica*

L. Junius Moderatus Columella, scriptor Hispanus qui tempore Neronis medio in saeculo primo post Christum natum floruit, duodecim libros *De Re Rustica* de fere omnibus rebus ad artem agri colendi pertinentibus scripsit. Libros undecim soluta oratione scripsit, sed librum decimum de cultu hortorum poeticis numeris composuit quod *Georgicos* libros Vergilianos aemulare volebat. In libro quarto *Georgicon*, Vergilius scribit se hortos tractare velle, sed mox asseverat se hunc laborem perficere non posse:

Atque equidem, extremo ni iam sub fine laborem

Vela traham et terris festinem advertere proram,

Forsitan et, pinguis hortos quae cura colendi

Ornaret, canerem, ...

Verum haec ipse equidem *spatiis exclusis iniquis*

Praetereo atque *aliis post me memoranda relinquo*. (Verg. *Georg.* 4. 116-119, 147-148)

Libro decimo ineunte in praefatione brevi, soluta oratione scripta, Columella propositum suum lectori nuntiat: "... ut poeticis numeris explerem Georgici carminis omissas partes, quas tamen et ipse Vergilius significaret, *posteris se memorandas relinquere*. (Col. *RR* 10. Praef. 1, 3). Columella quidem propositum fere verbis Vergilianis ipsis ostendit. In proemio carminis ipsius ita pergit:

Hortorum quoque te cultus, Silvine, docebo,

Atque ea, quae quondam *spatiis exclusis iniquis*,

Cum caneret laetas segetes et munera Bacchi,

Et te, magna Pales, necnon caelestia mella,

*Vergilius nobis post se memoranda reliquit.* (Col. RR. 10. 1-5)

Non solum verbis ipsis Vergilianis adhibitis sed et argumentis cuiusque libri *Georgicon* summatim repetitis asseverat se “explere” partes sicut “omissas” *Georgicon*, quasi quid huic carmini iam deesset, quasi carmen reliqueret Vergilius imperfectum.

Sed non tantum librum fere quintum, ut ita dicatur, *Georgicon* scribere proponit, sed in libris antecedentibus *Rei Rusticae* totum ordinem argumentorum ipsum *Georgicon* librorum sequitur. Columellae quidem opinione Vergilius est poeta maximus vel vates rei rusticae qui agricolas optime admonet et cuius praeceptis agricolae maxime parere debent. In opere de *Re Rustica* scribendo Columella et libros *Georgicos* ipsos et Vergilium ipsum poetam aemulatur.